

tis, vel quocumque naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cuiuscumque generis bona tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quam in ceteris cuiusque maris regionibus, & littoribus, surripuerint; ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque pretextum excusari possint.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à jure, seu ex speciali Sedis Apost. licentia permisis imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationem, gratiam, vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pontificis signatarum, nec non falsò fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Rom. Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos per nostras, sive hujus sanctæ Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos, detinent, seu transmittunt equos, arma, ferrum, flum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, cannabam, lutes, tam ex ipso cannabe, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant, nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ pertinentibus, in Christianorum perniciem, & damnus ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, nec non hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis per nos, & Sedem prædictam hæcenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impediētes, seu invadentes eos, qui vicualia, seu alia ad usum Rom. Curie necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defraudant per se, vel alios cuiuscumque fuerint ordinis, præminentie, conditionis, & status, etiam si Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apost. venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, nec non illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, à nobis, vel nostris iudicibus non habentes illam sibi temerè vendicantes, similia, contra morantes in eadem curia, audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetos, seu Peregrinos ad Urbem causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipso recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter interficientes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, Sedisque Apost. Legatos, vel Nuntios, aut eos à suis Diocæsis, Territoriis, terris, seu Dominiis ejiicientes: nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascumque, vel sæculares ad Rom. curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia frequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum hujusmodi occidunt, seu quocumque modo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè vel indirectè, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cuiuscumque præminentie, vel dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes

tam Ecclesiasticos, quam sæculares, cuiuscumque dignitatis, qui prætexentes frivolum quendam appellationem à gravamine, vel futura executione litterarum Apost. etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam iustitiam concernentium: nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum Decretorum, à nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsentibus, Palati nostri, & Camera Apost. Auditoribus, Commissariis, aliisque iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, aut aliis ad curias sæculares, & laicam potestatem recurrent: & ab ea, instante etiam filii Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi, admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni mandari, aut ne tabelliones, & Notarii, super hujusmodi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis, & regionibus ejiiciunt; bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel per alium, seu alios publicè, vel occultè, quive aliis quibuscumque personis, in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratis, vel litteris impetrandis, ad Rom. Curiam accedant aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statueri, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu tabelliones, vel alios quomodolibet retinere præsumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui per se vel alios, auctoritate propria ac defacto, quorumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, et litterarum Apost. prætextu, beneficia, et decimarum, ac alias causas spirituales, et spirituales annexas, ab Auditoribus, et Commissariis nostris, aliisque iudicibus Ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, et auctoritatem, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prolequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt: quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandam, & revocari faciendam citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & poenis in illis contentis absolvi per statutum, vel alias, compellunt, vel executionem litterarum Apost. seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentie prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi, coram nobis & Sede Apost. legitime prosequantur, etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancellarium, Consiliorum, Parliamentorum Cancellarii, Vice-Cancellarii, Consilarii, ordinarii, vel extraordinarii quorumcumque Principum sæcularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, commendatarii, seu Vicarii fuerint.

§. 15. Quive ex eorum prætensio officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum præter juris Canonici dispositionem, trahunt, vel procurant directè, vel indirectè quovis quæsito colore: Nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmatice, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alius quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint: vel factis, & ordinatis usi fuerint unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliis quovis modo restringitur, seu nostris, et dictæ Sedis, ac quorumcumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præjudicatur.

§. 16. Nec non qui Archi-Episcopos, Episcopos, aliosque Superiores, et inferiores Prælatos, et alios omnes quoscumque iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum Agentes, procuratores, familiares, nec non

non consanguineos, & affines, aut aliis impediunt, quo minus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque urantur, secundum quod Canones, & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, ac decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt: ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias, & decreta, aut aliis fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias curias sæculares recurrunt: & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, ordinarii, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

§. 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælati, & aliis personis Ecclesiasticis ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis, speciali, & expressa licentia, imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposta, etiam à sponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Nec non qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cuiuscumque finis præminentie, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus, quicumque etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris, quocumque Præsidentes, Consilarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam Concilii Generalibus edita, etiam cum censuris, & poenis in eis contentis.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, executores, subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra Personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliis illa perperam abutuntur, etiam si talia committentes fuerint Consilarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, ac detinere præsumperint, in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Sicilia, Insulas Sardinie, & Corsicæ, terras citrà Pharus, Patrimonium Beati Petri in Thufcia, Ducatum Spoletanum, comitatum Venaytinum Sabinese, Marchiam Anconitanam, Massam Trebariam, Romanodiolam, Campaniam, & Maritimas Provincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis Commissionis Arulphorum, Civitatesque nostras, Bononiam, Cefenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castellum, Tudertum, Ferrariam, Comacium, & alias Civitates, terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesie, mediata, vel immediata subjecta, nec non supremam jurisdictionem in illis, nobis, & eidem Romanæ Ecclesie competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, nec non ad hærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, favorem quomodolibet præstantes.

§. 21. Volentes præsentibus nostros processus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processus, à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino fortiri.

§. 22. Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesie mandatis, & satisfaciendo cautione præstita: absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indulgentiarum, quibuscumque Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumvis ordi-

num, etiam Mendicantium, ac militarium regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsius ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Dominicis, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusvis Concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie, concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

§. 23. Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis; vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumperint, eos excommunicationi sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

§. 24. Declarantes, & protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum verò proposito ulterius similia non committendi, desisterint: Ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præmittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmatice, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, seu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperitur, deleri, & cassari, ac nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque iuribus Sedis Apostolicæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesie undecumque, & quocumque quæsitis, vel quærendis nullatenus prejudicari posse, aut debere.

§. 25. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cuiuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præminentie fuerint, etiam si, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, civitatibus, seu locis à prædicta Sede; ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de privilegiis, indulgentiis, & indulctis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac prescriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hoc nostros processus, ac sententias, quo minus includantur in eis, se jure valeant, vel tueri.

Que omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso infererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 26. Ut verò præsentibus nostris processibus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes valvis Ecclesie S. Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætereundere aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 27. Insuper ut processus ipsi, & præsentibus litteræ, ac omnia, & singula in eis contenta, eò hiant notiora, quò in plerisque civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælati ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sancte obedientie districte præcipiendo mandamus, ut per se vel per alium, seu alios, præsentibus litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis: cum in eis major populi multitudo ad Divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient, et declarent.

§. 28. Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi,

pi, alique locorum ordinarii, & Ecclesiarum, Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac presbyteri sæculares, & quorumvis ordinum Regulares ad audiendas peccatorum Confessiones, quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

§. 29. Volentes earumdem præsentium transumptis etiã expressis, Notarii publici manu scriptis, & sigillo iudicis ordinarii Romanæ curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsi præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel extensæ.

§. 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentatè præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac B. Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Hæc Bulla Cæne Domini desumpta est ex Patre Claudio La Croix lib. 6. part. 2. num. 2054. & potest etiam videri in Ritualibus Diæcesium.

Casus Reservati Regularium.

Decretum S. D. N. Clementis VIII. supra Casum Reservationis ab omnibus Regularium Superioribus observandum.

SANCTISS. D. N. qui jam pridem accuratè perpenderit, ac re ipsa comperit, quòd Reservatio facultatis absolvendi Religiosos penitentes, à quibusdam peccatis gravioribus, nisi Superioribus, admodum prudenter, ac moderatè illa utantur, nonnullis infirmiores, qui interdum Superiori suo, conscientia maculas detegere formidant, adducere possent in æternæ damnationis periculum, & spiritalis remedii desperationem: idè, ut huic malo sua Sanctitas opportune prospiceret, decrevit, ut nemo Regularium Superiorum, peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquibus, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.

- 1 Venesicia, Incantationes, & Sortilegia.
- 2 Apostasia à Religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.
- 3 Nocturna, & furiva à Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.
- 4 Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.
- 5 Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.
- 6 Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personæ.
- 7 Multosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum, à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.
- 8 Juramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.
- 9 Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum factum etiam effectu non secuto.
- 10 Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterii, aut Conventus.
- 11 Furum de rebus Monasterii, seu Conventus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Si quod aliud præterea peccatum grave, pro Religionis conservatione, aut pro conscientia puritate, reservandum iudicabitur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli, in toto ordine, aut Provincialis in Provincia matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium, subditorum confessiones audire: nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint: aut ipsimet subditi, sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.

Superiores in singulis Domibus, deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero majori, vel minori: itque sint docti, prudentes, ac charitate præditi qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse imprimis Confessarius iudicaverit.

Tam superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quàm de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare penitentiis graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandavit. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cujuscumque Concilii, etiam generalis decretis, nec non consuetudinibus, etiam ab immemorabili semper observatis, aut Regulis in generalibus, seu Provincialibus Capitulis editis, statutis, & Constitutionibus etiam Apostolica Auctoritate confirmatis, privilegiis, indulgitiis, & concessionibus quibuscumque, quorum tenores, hic præ expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum die 26. Mensis Maji. 1593.

Andreas Sobolonus, Secretarius Visitationum.

Hoc Decretum desumptum est ex Compendio privilegiorum Patris Alphonsi de Casarubis, V. Absolutio Ordinaria quoad fratres, & Bullario Cberubini, t. 4. pag. 67.

Clausura Monasteriorum.

Gregorius Decimus Tertius Episcopus Servorum DEI ad futuram rei memoriam.

UBI gratia, & indulta ab hac Sede concessa successu temporis incommodum afferre noscuntur, expedit illa salubri Præsidentis concilio submoveri: proinde Sanctimonialium quieti consulere, ac omnia, quæ illas à spiritalium rerum cogitatione, & exercitio avocant, impedimenta tollere, periculaque, & scandala ab eis remove cupientes, auctoritate præsentium revocamus, & abolemus omnes, & quascumque licentias, ac facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam virorum quorumvis ordinum, quibusvis etiam Comitissis Marchionissis, Ducissis, & aliis cuiuscumque status, & conditionis mulieribus: ac etiam omnes, & quascumque licentias ingrediendi Monasteria, Domos, & loca ipsarum Sanctimonialium quibuscumque viris etiam ejusdem status, & dignitatis, &c. Inhibentes eidem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pena ipso facto incurrenda, super qua à nemine, nisi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impetiri, ne ipsarum licentiarum prætextu, Monasteria huiusmodi, quovis modo ingredi audeant. Abbatissis verò, nec non Abbatibus, Conventibus, & aliis Monasteriorum utriusque sexus Superioribus, & personis ditritè præcipimus, sub eadem excommunicationis pena, nec non privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia impostèrò obtinendi, ne in Monasteria, Domos, & loca sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant: Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, ac etiam ordinis quorumcumque etiam mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel à superioribus, quibus illas concedendi casibus necessariis tantum, ex Decreto Concilii Tridentini tribuitur, se Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus urgentibus dumtaxat ingredi, neve Moniales sub eisdem pœnis, illos aliter admittere præsumant. Non obstantibus &c. Datum Romæ idibus Junii Anno Dom. 1575.

Hæc Bulla desumpta est ex Bullario Cberubini, tom. 2. pag. 393.

Communio Quotidiana.

Decretum Innocentii XI. Circa Communionem Quotidianam.

CUM ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonium pervenerit, in quibusdam Diæcesibus vigere usum quotidianæ communionis, etiam in feria

sexta Parasceve, & simul affirmari, eandem quotidianam communionem præceptam esse à jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet, quòd aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes sæculares, aut regulares, alique in communionem accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito: ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, eadem sacra Congregatio, prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit: etsi frequens, quotidianusve sacrosanctæ Eucharistiæ usus à sanctis Patribus fuit semper in Ecclesia probatus: numquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadibus dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cùm inquit: optaret quidem sacrosanctæ Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent, idque non immeritò: multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa, quæ cum humanis oculis scrutari non possumus, nihil certè de cuiusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea, quòd ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentia fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis præscribere debent. In conjugatis autem hoc amplius animadvertit, cùm Beatus Apostolus noluit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seriò admoneant tantò magis ob sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentia vacandum, puriorique mente ad cœlestium Epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana sacra communionis sumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum, per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet: illudque omnino provideat, ut nemo à sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis modo, rariis, aut crebrius, Dominici Corporis suavitatem degulit. Idèd Moniales quotidie sacram Communionem petentes admodum erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto præstituta communient: si quæ verò puritate mentis emittant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignè frequentiori, aut quotidiana sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut, cùm fideles ad sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentior, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini iudicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; & sic quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad maiorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diæcesibus viget huiusmodi devotio erga sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque sibi adhibito prudentiæ, & iudicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentia parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in fumentibus augeantur: quòd abundè contingeret, si ii, qui devoto huiusmodi studio, Divina præstante gratia tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici cupiant, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium

in morte tradidit, atque in cœlesti sede præmium est daturus, precatur sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur: Porrò Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure Divino, doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu sacerdotis sumendam sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa, juxta formam Ritualis Romani, si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa communionem in feria sexta Parasceve Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus fervetur, insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas: non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario; si Parochi, aut Confessarii, etiam Regulares aut quicumque alii sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque desuturâ Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam regulares etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua approbavit, ac præfens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c. Datum Romæ. 12. Februarii, 1679.

F. Card. Columna Præf. S. Archiepisc. Brancaccius Episc. Viterbiens. Sec.

Die 15. Mensis Februarii, 1679. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Urbem, ad valvas Curia & in acie campi Floræ, ut moris est, per me Ægidium felicem SS. D. N. PP. Curforem, pro D. Magistro Curfori Gregorius Stagijs Apost. Curf.

Hoc Decretum videri potest apud La Croix lib. 7. part. 1. numero 665.

Confraternitas.

Præscriptio formæ, qua Ordines Regulares, & Confraternitates sæculares, de cætero uti debent in erigendis, & aggregandis Congregationibus, & Confraternitatibus, & Communicatione suarum Indulgentiarum, Indulgentiarum, Elemosynarumque collectione, & Confessorum Electione.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei Memoriam.

QUæcumque à Sede Apostolica ad promovendam Christi fidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi maturo consilio, magna prudentia, & cautione sancita, & decreta sint, tamen cùm Romanus Pontifex de animarum salute sollicitus, progressu temporis animadvertit, sensim aliquos abusus in eisdem statutis, & Decretis observandis provenire, debet pro sui Pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino potest adhibito salutari remedio providere.

§. 1. Cùm itaque à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & forsitan etiam à nobis nonnullis Regularibus ordinibus, Religionibus, & institutis, ac etiam Christi fidelium sæcularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diversarum nationum, nominum, & institutorum, tam in Alma Urbe nostra, quàm in aliis civitatibus, & locis Christiani orbis institutis, facultas erigendi, & instituendi in eorum, & aliis Ecclesiis, & Collegiis, nec non etiam sibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes in eadem Urbe, & in aliis locis existentibus, eisque privilegia, indulgentias, facultates, aliaque spiritalia gratias, & indulta sibi concessa respectivè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregacionibus, & communicationibus faciendis servari debeat: propterea, sive negligentia superiorum ordinum, Religionum, & institutorum, vel officiorum Archiconfraternitatum, & Congregationum exigentium,